



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Nolle Deum, vt quisquam spe veniæ deturbetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

magnitudine diuinæ bonitatis. Meritò quidem ante oculos ver-  
sari debet peccatori scelerum enormitas, sed iuxta etiam ponenda  
est misericordiæ Dei magnitudo. *Si quis iam lapsus & nimio sceleris  
ponderè oppressus desperare iam capit, ait Hipponensis Præsul, atten-  
dat vulneris magnitudinem, sed non desperet medici potestatem: pecca-  
tum enim cum desperatione, certa mors est. Nemo dicat, ego, si iam  
aliquid mali feci, iam damnatus sum; Deus malis talibus non ignoscit.  
Cur non addo peccata peccatis, fruor seculo, in voluptate lasciuia, in cu-  
piditate nefaria. Jam perditâ spe reparationis, vel hoc habeam, quod vi-  
deo, si non possum habere, quod credo. Deus enim noster sic cautos facit,  
quando ceciderunt: sic desperatos esse non vult, qui ceciderunt.*

## III.

Quemadmodum neque Iudas sic voluit esse desperatû:  
voluit tamen ipse desperare Iudas penitentiâ ductus, sine diuinæ  
misericordiæ recordatione. *Habebat lachrymas Petrus pio quas fun-  
debat affectu: ait D. Ambrosius, Non habebat proditor fletus, qui-  
bus sacrilegium fateretur: ut, dum suo reus iudicio damnatur, & spon-  
taneo supplicio expiatur facinus: pietas Domini, qui se ipse nollet vlcif-  
ci, & diuinitas probaretur, qui conscientiam mentis inuisibili potestate  
interrogaret. Usque adeò magna est Domini pietas, ut vel, in ipso  
proditore suo, se se nollet vlcifci; vsque adeò magna vis consci-  
entiæ, ut vbi carnifex deest, laqueo se ipsâ plectat. Non vult tamen  
hoc Deus, qui ait: Nolo mortem impij, sed ut conuertatur impius à  
via sua, & uiuat. Itaque de illis non est desperandum, qui adhuc ma-  
la sua non solum corrigere volunt, sed etiam defendere non erubescunt.  
Sic nec illa ciuitas desperata fuit, de qua dictum est: Adhuc triduo, &  
Niniue subuertetur. In ipso tamen triduo idonea fuit conuerti, orare,  
plangere, & de pœna imminente misericordiam promereri. Ita Augu-  
stinus, qui alio loco addit: Nemo de peccati sui dimissione desperet,  
quando & veniam meruerunt, qui Christum occiderunt. Item: Quid  
autem conuerso non ignoscitur? Quis homicida desperet? si in spem  
redditus est, à quo etiam Christus occisus est? At sunt quædam scele-  
ra, & quoddam genus sceleratorum, de quibus plerique despe-  
rant? cum & ipsi (scilicet auari, luxuriosi, venefici & magi) ple-  
rumque soleant desperare? Esse tales, non nego; desperandum  
tamen illis esse, pernego.*

## IV.

Circa annum Christi 1017. in Aquitania, ante D. Io. Bapti-  
stæ festum, tribus diebus, è cælo, pluuia sanguinis cecidit; qui cum  
in lapidem aut carnem incidisset, non poterat elui; si verò supra  
lignum

S. Augustin.  
lib. 50. ho-  
mil. hom. 21.

S. Ambros.  
lib. 10. super  
Lucam. c. 13.

Ezech. 33.  
11.  
S. Augustin.  
1. 50. homil.  
hom. 2.

Traçt. 3. in  
Io. & serm.  
36.

Baronius  
1017.